



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacramentum Ordinis

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1694

§. VII. De defectu Sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240

vult esse certum, Episcopum posse dispensare cum talibus ad fidem conversis, per privilegium dispensandi super omnibus irregularitatibus, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, & natalium defectu contractæ sunt.

§. VI.

De defectu ætatis.

Sextus est defectus ætatis requisitæ ad Ordines suscipiendos, de quo supra dictum est. De hoc defectu supra dictum est.

§. VII.

De defectu Sacramenti.

Septimus est defectus Sacramenti, subintellige Matrimonii, quod per bigamiam, five per conjugium cum duabus legitimis uxoribus successivè habitum, deficit in perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia tanquam Sponsa sua. Habet enim Sacramentum Matrimonii id ex sui institutione, ut repræ-

Ex defectu Sacramenti sunt irregulares omnes bigami.

fenter unionem Christi cum
 Ecclesia factam per Incarna-
 tionem ; quâ visus est quo-
 dammodo relinquere Patrem
 suum cœlestem, & postmodû
 Matrem suam Synagogam :
 Ut Sponsæ suæ Ecclesiæ adhæ-
 reret. Juxta illud Apost. ad
 Eph 5. Sacramentum hoc ma-
 gnum est, ego autem dico in
 Christo & Ecclesia. Cùm au-
 tem Christus non copulaverit
 sibi nisi unicam Sponsam, & ab
 alio non assumptam, id est,
 veram Ecclesiam d. ficit hujus
 Mysterii significatio in Matri-
 monio cum secunda uxore,
 vel cum Vidua, aut cum per-
 sona ab alio corrupta. Plenius
 autem & perfectius significa-
 tur per Matrimonium cū una
 Sponsa, eaque Virgine. Cæte-
 rum ab AA. triplex statuitur
 bigamia irregularitatem in-
 ducens. Prima est vera & pro-
 priè dicta bigamia, quando
 quis successivè duabus nupfit
 consumans cum utraque Ma-
 trimonium : Altera est inter-
 preta-

Bigamia
 inducens
 irregulari-
 tatem tri-
 plex est :
 Prima vera,

pretativa. quæ secundum juris interpretationem fictionemve bigamia dicitur: & hac ratione bigamus erit, qui primo etiam Matrimonio Viduam aut personam ab alio corruptam sibi copulat, quia deficit à similitudine Christi copulantis sibi Ecclesiam à nemine alio assumptam, & sibi soli desponsatam: Item qui copulam carnalem habuit cum legitima uxore, postquam fuit ab alio intra vel extra Matrimonium carnaliter cognita; nam hic quoque deficit perfecta similitudo Christi cum Ecclesia. Nec refert utrum mulier volens, aut per vim cognita fuerit, & num vir adulterium coniugis sciverit, an non, quia hæc irregularitas non oritur ex culpa; sed ex defectu significationis Sacramenti. Tertia dicitur similitudinaria, ob similitudinem, quam habet cū utraq; iam dicta bigamia, estq; ex hac irregularis, qui post solemne votum castitatis Marri-

& proprie dicta; altera interpretativa, tertia similitudinaria.

monium contrahit, ac consummat quamvis cum Virgine: Quia censetur duplex Matrimonium contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Quod ex iam dicta ratione etiam verum videtur, tametsi obtenta dispensatione Matrimonium contrahat cum Virgine. V. Medull. Theol. Abelly. P. 2. tr. 206, Sect. 3. §. 1.

§ VIII.

De defectu lenitatis.

Ex defectu lenitatis sunt irregulares, qui alium licite mutilant vel occidunt, sive id fiat in bello justo sive in legitimo iudicio.

Ocravus est defectus lenitatis, ob quem fiunt irregulares, qui alium licite mutilant vel occidunt in bello justo, vel in legitimo iudicio, quia tales non imitantur perfecte lenitatem & mansuetudinem Christi, qui noluit mulierem in adulterio deprehensam pronunciare ream mortis: nec crucifixoribus suis justam à Patre vindictam, sed veniam petiit. Hanc autem lenitatem vult Ecclesia eos imitari,